



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Tertius. Statum mysticum, seu exercitium orationis mentalis
veram Dei vocationem, totam hominis vitam, & infractum animum
expetere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

vitam, & animum infractum expetant; sed etiam quod in suis exercitijs toties, quoties internum aliquem conceptum formant, exprimuntque, verbum mentis pronuntient, non quaecunque, sed spirans diuinum amorem, & quamdiu hoc ipsum continuant, mentaliter, non vanè, sed mysticè loquantur: cum ita mentaliter loqui, aliud non sit, quam mente aliquem conceptum, aut internam locutionem, in se ipso in ordine ad Deum amandum exprimere.

Quum autem [diuersæ sint actiones *a* intellectus, scilicet cogitatio, consideratio, meditatio, speculatio, auditio, lectio, locutio, visio, seu contemplatio;] hoc ipsum quoque per omnium harum actionum operationes, diuersum mentaliter loquendi modum constituer. Et hinc meditatio per discursum, & rationem diuinum pulchrum quærit, & inuestigat, ac voluntate amat; Aspiratio autem sufficienter cognitione instructa, celerius, & moræ impatiens (iuxta amoris impetum) cito ad Deum amplexandum, & fouendum fertur; Contemplans autem sicut per intellectum firmiori aspectu, ipsum pulchrum intuetur, ita ipsum bonum intimius amplexatur, & stringit. atque ita [ratio *b* per discursum peruenit ad cognoscendum illud, quod intellectus sine discursu cognoscit,] ac consequenter ad orationis mentalis ordinem pertinent, non tantum status modi operandi supernaturaliter *c*, scilicet simpli-

ci intelligentia; sed etiam omnes status modi operandi naturaliter *d*, scilicet cum rationis discursu, & phantasie vsu: in his enim omnibus, & singulis Dei præsentia acquiritur, perficitur, & continuatur; licet in vno perfectius, quam in altero, pro vt scilicet in amore diuino, sit amplior progressus. Ne autem aliquis temerè se ingerat exercitijs mysticis, consequenter dicimus.

Statum mysticum, seu Exercitium orationis mentalis veram Dei vocationem, totam hominis vitam, & infractum animum expetere.

ARTICVLVS TERTIVS.

[V]ocatio illa, quæ dicitur *e* auxiliium Dei mouentis interiùs, & excitantis mentem ad deserendum peccatum:] fundamentum duntaxat est ad vitam mysticam superædificandam. Et idèd alia adhuc vocatio requiritur, in qua videl. Deum mentaliter possit contemplari, cum interno spiritali gustu, & complacentia de diuina bonitate. ad hanc autem cõtemplationem peragendam, nõ requiritur hoc loco, vt id ipsum præstantiori, & supernaturali modo fiat. ad illum enim magis singularem gratiam requiri, dictum est infra *f*, sed sufficit vt aliquo modo secundum status incipientium vel proficientium: iuxta ordinatum progressum meditationis, aspirationis, vel contemplationis, affirmatiui, vel negatiui modi, sese exercent;

Deo

a S. Thom. 2. 2. q. 188. a. 3. c. *b* Opusc. de Intell. & intellig. *c* vt habetur tota 2. parte. *d* vt habetur tota hac 1. parte. *e* S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 1. ad 3. *f* 2. par. Dec. 1. ar. 3.

Deo mentem interius mouente, & excitante, ad aliquo modo Deum contemplandum. & hoc ideo dicitur, ne quis ad internam vitam se sufficienti fundamento moueri credat, quando ad illam mouetur; vel quia videt, vel audit hos vel illos, eiusmodi institutum assumpsisse; & ad horum imitationem, vel aliorum leui persuasionem, aut proprio etiam Marte, à pia sua viuendi ratione se transfert. mystico enim modo ipsum bonum amare, non tam persuadendi sumus, quàm docendi. aliter enim cerro certius incipiet ædificare; & non poterit consummare; id quod tandem in miserijs constitui seriùs lugebunt.

Non inferat tamen quisquam hoc loco, quasi matrimonio iunctos, aut in propria libertate degentes, à felicissimo hoc instituto reijciamus; absit omnino. nam [in omni vitæ genere, & exercitijs, internus quis fieri potest. si tamen in occupatione externa maior pars sit introuersa, & in quiete totum se intro recipiat.] nullus ergò status, nulla viuendi ratio excipitur, dummodo in statu suo quilibet pro primario, summo, ac diligentiori studio habeat, vt sine sollicitudine, & impedimento internis exercitijs vacare possit, & velit. Et certè Taulerus prudenter obseruauit, se [plures nouisse homines, & ætate iuuenes, annorum scilicet viginti, & in matrimonio degentes, & generis

nobilitate claros; in hac tamen via perfectè constitutos.] [non enim contemplationis gratia summis datur, & imis non datur, sed sæpè hanc summi, sæpè minimi, sapius remoti, aliquando etiam coniugati percipiunt.] quia [non repugnat esse perfectum, licet quis in statu perfectionis non sit; sicut contingit etiam esse in statu perfectionis; & tamen non esse perfectum.] hinc etiam indocti, licet non sciant definire, vel diuidere, suosque discursus articulatè explicare: tamen diuina gratia adiuti, sæpè profundius, quam docti veritatem penetrant; [& per intelligentiæ fradium, quæ in illa continentur discernunt.] atque hinc fuit deuotus scæmineus sexus, ad ardua regenda quidem non admissus, ad Diuina autem fortius procumbens.

[Tota autem hominis vita ad contemplationem requiritur,] non ideo, vt necessario tria vota essentialia, scilicet obedientiæ, paupertatis & castitatis in regulari aliquo instituto profiteri debeat: emittuntur enim dicta vota ad melius esse, & maiorem Euangelicam perfectionem; ob quam Paulus (spiritu Dei afflatus) consilium tantum dat Virginitatis seruandæ, vt scilicet deiri sancti corpore, & spiritu, quæ Domini sunt sollicitè agant, ac tempus habeant Dominum sine impedimento obsecrandi. Eapropter quicumque in aliquo gratiæ statu ita uiuit, vt Deum super

om-

a vt sup. dec. 2. a. 4. b Tauler. in fest. vener. Sacram. serm. 3. c serm. 1. post Trin. Dom. 15. d S. Gregor. sup. Ezech. homil. 17. e S. Thom. 2. 2. q. 184. a. 4. in 6. f S. Bonau. de process. Relig. in 7. c. 78. g 22. q. 180. a. 8. c. h 1. Cor. 7.

omnia mentaliter in suis actionibus spectet, & contempletur, idque non ad menses, vel annos; sed tota vita, is quoque ad vitam contemplativam ducendam aptus iudicatur; & tum labores, & seruitia internam vitam non impediunt. Licet enim [actiua a vita contemplativam impediatur: ad eam tamen conducit, in quantum ordinat, & moderatur affectiones;] scilicet inordinatas, quibus otiosi homines frequenter gravissimè infestantur.

Infractus demum animus (ad reparandam, & sanandam naturam ex originali peccato vitiatam) necessariùs, rem melius docebit; & non verè vocatos, aut in sua vocatione desides egregiè discurret, reijcietque. Viam enim istam [arctam scilicet ascendunt Viri duntaxat ad bella doctissimi, & terribilis castrorum acies ordinata, Virorum b fortium, & eorum qui possunt ad bella procedere, viam veritatis eligentes, vtpotè vim facturi; arctam & arduam illam, quæ ducit ad vitam, cum alacritate apprehendunt, & cum summa festinatione per semitam mandatorum de valle lachrymarum ascendunt de virtute in virtutem, quæ retrò sunt obliti, & in interiora extènti fatagunt semper magis, magisque sapere, quæ sursum sunt, non quæ super terram; donec vix cum multo labore tandem aliquando apprehendentes montis verticem, perveniant ad Civitatem munitam.] &

quia [vna sola contemplatio Dei est, cui merito omnia iustificationum merita, & vniuersa virtutum studia postponuntur,] & in qua optimam partem sibi elegit Maria. Hinc iure meritò exigitur à nobis, vt omni diligentia, serior, & ex animo ab omni nos vana occupatione, multiplicitate, & ijs, quæcunque nobis verè necessaria non sunt, auertamus, atque ilicò intro nos recipiamus ad nosipos, nostram illic vocationem obseruantes explorantesque, qui, & ad quid, quaque ratione vocati sumus à Deo.] quin imò etiam [qui hunc statum e aggredi desiderat, & fatagit, opus est omninò, vt velut clausis oculis, & sensibus de nullo se penitus implicet, ac perturbet, sollicitus sit, & curet; sed cuncta tanquam impertinentia, & perniciosa funditus excutiat.] nam [absque dubio sine ingenti exercitio, sine frequenti studio, sine ardenti desiderio, ad perfectam scientiæ altitudinem mens nostra non subleuatur.] & licet ad perfectionem g contemplationis requiratur incolumitas corporis, ad quæ ordinantur artificialia omnia quæ sunt necessaria ad vitam, requiratur etiam quies à perturbationibus passionum, ad quam peruenitur per virtutes morales, & per prudentiam;] longè tamen vtilius infractus animus, qui patientia, & longanimitate omnia superat, requiritur.

Iam nunc quæso considerent, qui ad

22.2.q.182.a.3. b Rich.de S. Viñ. in Psal.28. c S. August. serm. 43. de temp. d Taul. Dom. 20. post. Triv. serm. 2. e Alber. Magn. de adhaeren. Deo. c. 2. f Rich. de prop. ad conf. c. 79. Cass. coll. 14. c. 2. 3. i. iou. Carth. de font. luc. a. 9. Caiet. in 22. q. 180. a. 2. & q. 182. a. 1. Molin. Carth. t. 1. p. c. 6. §. 3. & passim omnes. g S. Thom. cont. Gent. l. 3. c. 37.

statum orationis mentalis ex instituto religioso, aut singulari vocatione (in quocunque tandem statu) determinati sunt, quidnam non animi, ac diligentiae adhibere oporteat, ne tanquam nec frigidi; a nec calidi ex ore Dei euomantur; negligentia mortificationis, & pie internæ exercitationis omissione eo prolapsi, ut inter cœlestes epulas, tanquam vagi & profugi super terram, fame, & inopia spiritualis solatij, in regione longinqua, pereant. Quapropter fili-
b accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & in timore, & præparata animam tuam ad tentationem. deprime cor tuum, & sustine, & inclina aurem tuam, & suscipe verba intellectus. Et cum pietas ad omnia utilis, fundamentum sit, & origo in Deo bene solati animi; resolutio, virilique pectore sibi fixum statuatur spiritualis Athleta, illud Psalmistæ: *c* Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo: Dominus protector vitæ meæ; a quo trepidabo. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum; si exurgat aduersum me prælium, in hoc sperabo: quasi diceret; Tu Domine, qui me ad debellandam naturæ malitiam per gustum tuæ dulcedinis vocasti; esto multum propriæ imperfectionis, & modicum tui solatij habeam, ac opus quasi impossibile aggredi videar; attamen in omni difficultatis molestia, tibi me ex toto corde committo, tuæque Bonitati magis, quam proprijs conatibus innitens, offero memetipsum, & intrans in domum tuam *d*

adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo. Quia verò homo nunquam in eodem statu permanet, ut vel ideo frequenter in spiritu & instrui, & roborari debeat spiritualis Athleta; hinc de varijs auxilijs externis hic consequenter dicemus,

De libris, tempore, loco, ac corporis situ, exercitio mentali magis accommodis.

ARTICVLVS QVARTVS.

DE librorum lectione, & maxime, an huius vel illius præcepta, modus, & ordo, in praxi seruanda sint, nulla potest certa regula assignari; quod enim vni pulchrum, alteri sordidum videtur, & quod hic magni æstimat, ille vilipendit, quodque huic prodest, isti nihil utilitatis confert. Hinc etiam quemlibet præsertim incipientium, & proficientium ad lectionem, & praxin talium librorum remittimus, qui ipsum viuacius ad exercitia mortificationis, virtutis, & deuotionis commouebunt. Verum non tam cardo rei in hoc versatur, ut viles libri legantur, quam ut constet, qua diligentia perlegi debeant, & quamdiu horum lectio auxilium ferat. Et quidem ad diligentiam quod attinet, ea quæ in mysticis libris (præsertim quæ in hac summa practica,) continentur, non perfunctoriè aut frustulatum, aut semel; sed maturè consequenter, ac persapè, perlegenda erunt. [passio enim e amoris hoc habet; tum
 C quod

a A. 1. oc. 3. *b* Eccl. 2. *c* Psal. 26. *d* Psal. 5. *e* S. Thom. 2. 2. q. 27. a. 2.